



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. Ambitionis & ambitiosorum contemptus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

litteras, scripsit se prius peste liberatum, nolle iterum venena imbibere. Satis se pro Repub. elaborasse: nunc verò in patria sua, hoc est Salonis holeram ferere, hortum curare, & privatim agere malle. Cùm verò hi Imperatores rescripissent minacibus litteris, se non admittere excusationem, quòd fuisset Maxentio ac Maximino, suspectans necem dedecorosam, dicitur venenum hausisse. Quidam tamen dicunt, stupore mentis & longa aegritudine confectum, animam inter suspiria efflasse. Vixisse dicitur quibusdam sexaginta octo annis: nonnullis Lxxxiii, secundum quosdam, duobus de octoginta. Imperavit annis viginti. Mansit priuatus Salonis, rei rustica indulgens annis decem, & post mortem inter diuos relatus est; more scilicet Ethnicorum, qui cum honorem, quem re ipsa conferre non poterant, fingendo decernebant.

## III.

Hi tres, primus exemplo, alter laboris adiuncti tædio, tertius diffidentiam fortunæ Coronas abiecerunt, sceptram atque imperia calcarunt. Non igitur tanti fecerunt honores, quibus se sponte abdicarunt, ut ob eos amissos, ad restam currebant, aut Deorum suorum accusarent iniquitatem. Quin adeò oderunt vel Ethnici honorum ambiciosos amatores, ut eos palam perfringerent exponerentque; et hinc innotendos. Antisthenes, cùm Platonis superbiam notare cuperet, fortè in pompa equum hinnientem frementemque aspiciens, ad Platonem versus aiebat: *Tu profecto, meo iudicio, præclarus fuisses equus.* Est enim equus animal superbissimū, & ut pauca laudatas explicat alias; ita caballus phalaris ornatus, & manuum plausibus velut palpo percussus, aures arrigit; hinnitque ad gloriæ occasionem. Quid verbis utor? neminem minus honoribus dignum arbitramur, quàm qui honores ambit: illum autem sapientem putamus qui populares auras, & famam laudesque inanes spernit; immò qui honores patriæ bonoque publico postponit. Quemadmodum Athenienses studio conseruandæ Græciæ imperiū clausis, quod illis iure debebatur, Laconibus permiserunt, locijs ita volentibus, ne seditio aliqua oriretur, cùm ad Artemisium cùm 271. nauibus, contra Xerxis innumerabilem classem pugnaturi essent. Quod exemplum vti nam nostra militia imitaretur, in qua videmus, multos alioqui præclaros Duces antè patriam deserere, quàm æmulo cedere; neque hosti irruenti obsistere velle; ne videantur iuniori, aut recentiori in militia celi.

Brufon lib. 6.  
cap. 5.

Herodot. l. 7.

na celsisse. Quem isti honorem merentur, quibus potior est præcedendi, quàm viacendi gloria? *Quorum vita*, ut Epicharmus dixit, *est uter inflatus?* Plinius certe, ut ab origine nostra humili nobis ipsis sensum infigeret, ita scripsit: *Miseret atque etiam pudet estimantem, quàm sit friuola animalium superbissimi origo, cum plerumque abortus causa fiat odor à lucernarum extinctu. Hic principis nascuntur tyranni, hic carnifex animus. Tu qui corporis viribus fidis, tu qui fortuna munera amplexaris, & te ne alumnium quidem eius existimas, sed partum: tu cuius semper in victoria est mens, tu qui te Deum credis, aliquo successu tumens, tanti perire potuisti: atq; etiam hodie minoris potes, quantulo serpentis ictus dente: aut etiam, ut Anacreon Poëta, acino vna passe: ut Fabius senator prætor, in lactis haustu uno pilo strangulatus. Is demum profectò vitans aqua lance pensitabit, qui semper fragilitatis humana memor fuerit.* In huac modum Ethnicus suam expendit vilitatem.

Vide Clem.  
Alexand. 4.  
Strom cap. 4.  
Plin. lib. 7.  
hist. c. 7.

## IV.

Matth. 11. 29.

Sed multò adhuc illustriora sunt, apud Christianos, exempla honoris repudiati, aut depositi. Nimirù ab ipso Christo, magistro humilitatis, profundiora illi virtutis fundamèta didicerunt. Quid enim eo humilius, qui videns, quòd Mundi superbia eò usq; ascendisset, ut Dei maiestatem sibi homines vsurparent, voluit hominis formam accipere, ut profundissima humilitate insolentissimã superbiam curaret? Itaque non in regia, sed in stabulo natus, inter bruta animalia in præsepio iacuit; non purpura, sed communis panni tunica vestitus incessit; cum eum regem facere vellent, fugit; opprobrijs satiatus est; accusatus falsò, iudicatus iniuste; crudelissimè interfectus est; & cum iniquis deputatus, infami genere mortis affectus, inter latrones, in furca, medius pependit. In hoc exemplar inspicere nos iubens Apostolus ait: *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo IESU: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se equalem Deo: sed semetipsum exinanivit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Humilianit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, &c.* Nempe per hanc viam itur ad gloriam; dumq; falsus honor contemnitur, ad verum & perennem peruenitur. Ut ergo, qui se comuat, adhibent speculum; ita qui se Deo adornant, Chri-

Luc. 2. 7.

Ioan. 6. 15.

Phil. 2. 5.

Chri-